

Alojzy Bukowski

De opere redemptionis quid deceant moderni theologi russi

Collectanea Theologica 18/1-2, 101-132

1937

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej bazhum.muzhp.pl, gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

DE OPERE REDEMPTIONIS QUID DOCEANT MODERNI THEOLOGI RUSSI.

Cum primum animadvertissem tractatum de opere redemptionis a recentioribus theologis orientalibus dissidentibus iis capitibus doctrinae christianae adnumerari, in quibus doctores catholici atque ipsa Ecclesia Romana ab antiqua traditione defecisse dicitur, originem ac rationem huius obiectionis investigandam suscepi et hac occasione brevem conspectum historicum soteriologiae apud theologos russos publici iuris feci¹⁾.

Postquam vero inde sex fere lustra praeterierunt et nuper aliquae dissertationes de redemptione in lingua russica in lucem editae sunt, opportunum videtur, ut pristina commentatio nostra compleatur et usque ad praesens tempus perducatur. Ut autem doctrina modernorum theologorum in vera luce appareat, antea conclusiones prioris nostrae inquisitionis historicae brevissime in memoriam revocandae videntur.

Peracta analysi cognovimus orientales libros symbolicos saeculo decimo septimo compositos dogma redemptionis breviter tantum ac paene non nisi verbis Sacrae Scripturae proponere, „Prolixiorem vero Catechismum“ Philareti, qui saeculo undevicesimo in Russia orthodoxis libris symbolicis adscriptus est, illud plane eo modo explicare, qui a medio aevo apud catholicos usu venit. Iam diu enim antea theologo russi communiter doctrinam Scholasticorum de satisfactione ac merito Redemptoris suam fecerunt eamque iisdem atque illi argumentis fulciebant eademque

¹⁾ In collectaneis „*Weidenauer Studien*“ II, Wien 1908, 83–132 et A. Bukowski S. J., *Die Genugtuung für die Sünde nach der Auffassung der russischen Orthodoxie*, Paderborn 1911, 3–47. Recensio in *Christianskoe cztenie* 1909, II, 1031 ss.

utebantur terminologia. Nonnulli vero quaedam secundaria elementa a Lutheranis mutuarunt, v. g. de exinanitione Christi, de duplici Eius oboedientia ac perpeſſione poenarum gehennae. Demum ab ultimo decennio ſaeculi undevicesimi complures Ruſſi, duce profeſſore Kijoviensi P. Swietlow²⁾, tum Catholicorum tum Protestantium ſoteriologiam impugnare coeperunt, quia utraque nimio ſpiritu iuridico et crasso antropomorphismo imbuta eis videbatur atque exclusive obiectivam rationem redemptionis respicere, quae vitia ſub influxu Occidentis etiam in theologiam orientalem irrepiſſe dicunt, unde penitus purganda ſit.

Quod ut efficiant iidem theologi e contrario nimis quidem ſubiectivo momento operis Christi inſiſtunt, attamen commu- niter etiam obiectivum eius valorem, ſatisfactorium ac meritorium, aperte agnoſcunt. Unum invenimus archimandritam *Sergium Stra- gorodskij*, qui ideam ſatisfactionis Deo datae vel dandae omnino reiceret³⁾, contendens Christum non eſſe tamquam doloroſum instrumentum reconciliationis conſiderandum, ſed tamquam reſtitutorem noſtrae naturae lapsae, tamquam primitias dormien- tium, quos eduxit de morte⁴⁾. Totam vitam ac mortem Christi eo ſpectaſſe, ut nobis charitatem Patris manifeſtando perſuaderet Deum eſſe omnia ignoſcentem charitatem, quae nullo peccato vinci poſſit, atque hoc modo ad Deum redamandum et peccata vitanda nos perduceret⁵⁾.

Quae quamvis non ſolum communi uſque ad illud tempus doctrinae theologorum, ſed etiam orthodoxis libris ſymbolicis eſſent contraria, a competente auctoritate non reputabantur impe- dimentum, ne Sergius propter citatum opusculum promoveretur ad gradum Magiſtri theologiae, deinde ad dignitatem Rectoris Aca-

²⁾ In ſuo opere principali c. t. *Crux Christi (Krest Christow)* 1 ed. 1893; 2 ed. Kiew 1907, 15 ſs.; 483 ſs.

³⁾ In diſſertatione c. t. *Orthodoxa doctrina de ſalute (Prawoſlawnoe uczenie o ſpaſenij)*, 2 ed., Kazan 1898, 143; 254. — Directe agit S. in hoc libello tantum de redemptione ſubiectivo ſenſu accepta ſive de appropri- atione fructuum redemptionis, atque praecipue de iis, quae ex parte ho- minis requiruntur ad iuſtificationem et ſalutem conſequendam, ſed data occasione principia ſtatuit, quibus redemptio obiectiva, imprimis vero valor eius ſatisfactorius ac meritorius omnino negetur. Cfr. Bukowski, *Die Genugtuung für die Sünde...* 23 ſs.

⁴⁾ L. c. 24.

⁵⁾ L. c. 227—230.

demiae Spiritualis Petropolitanae et episcopi plurimum successive dioecesium ac tandem administratoris Patriarchatus Moscoviensis. Principia vero soteriologica Sergii brevi tempore inter theologos russiae nacta sunt plures defensores, attamen non omnino deficientibus, qui ea strenuo oppugnarent. Cognoscamus praecipuos utriusque factionis fautores.

I. QUI (FERE) NON NISI SUBJECTIVUM SIVE PSYCHOLOGICUM MOMENTUM REDEMPTIONIS ADMITTUNT.

1. *Tarasius Kurhanskij.*

Sententiae Sergii Stragorodskij valde similis est theoria redemptionis tradita a monacho Tarasio Kurhanskij in dissertatione proposita Academiae Spirituali Kasanensi ad obtinendum gradum candidati theologiae, quae iam 1903 a. typis mandata est in periodico „Missionerskoie Obozrjenie“, sed magis demum innotuit postquam separatim edita est cum proemio laudatorio metropolitanae Antonii, praesidis synodi Russorum peregrinorum, sub titulo: „Immutatio antiquae theologiae russicae“⁶⁾.

Consilium principale auctoris eo dirigitur, prouti ipso titulo indicatur, ut ostendat theologiam russicam saeculo decimo septimo penitus immutatam esse, mutuata a theologis latinis methodo scholastica cum variis novitatibus in Occidente arbitrarie introductis.

Inter eiusmodi novitates recenset T. primo loco doctrinam de triplici munere Christi, prophetico, sacerdotali et regio. Fateri quidem debet in Sacra Scriptura nec non in operibus Patrum saepius sermonem occurrere de istis muneribus, sed has voces ibi non nisi sensu metaphorico usurpari putat⁷⁾.

Graviori crimini T. vertit Scholasticis doctrinam de satisfactione a Christo cruento suo sacrificio Deo Patri pro peccatis mundi oblata, quam ex ideis honoris et satisfactionis medio aevo

⁶⁾ *Peretom w drewnoruskom bogostowii*, Warszawa 1927, 187. Prolixiorem recensionem huius libelli scripsit Th. Spacił in collectaneis „*Orientalia Christiana*“ XIII (1928), n. 49, 289 ss.

⁷⁾ L. c. 114 ss.

in Occidente vigentibus atque ex litterali interpretatione eorum, quae a S. Paulo metaphorice dicta sunt, ortam esse affirmat. Praeterea theologis catholicis praesertim obicit, quod Deum vere irasci et poenam rationem vindictae habere supponant, cum secundum humaniores conceptus modernae iurisprudentiae emendationi delinquentis inservire debeat⁸⁾.

Suam propriam sententiam T. nullibi plene et clare exponit, quae autem secundum varia variisque locis obiter dicta haec esse videtur: Christus redemit nos modo directe opposito illi quo primi parentes peccaverunt. Cum vero peccatum ex amore proprio et cupidine voluptatis proveniat, Christus tamquam principium fundamentale novae vitae statuit abnegationem sui ipsius et promptitudinem patiendi. Ut homines huic principio vitam suam conformarent, indigebant vivo exemplo, quod Christus iis in se ipso praebuit. „Aspicientes in eum ac videntes infinite perfectum exemplum inauditae humilitatis christiani ex eius consideratione hauriebant novum principium vitae, quo realiter et manifeste a peccato liberabantur“⁹⁾. Perfectior vero liberatio a peccatis obtinetur conformiter ad progressum in promptitudine patiendi pro suis peccatis¹⁰⁾.

Patet hisce adscribi, similiter atque a Sergio, operi redemptionis a Christo peracto non aliam nisi psychologiam efficaciam. Differentia tantum in eo est, quod Tarasius magis necessitatem abnegationis et crucis tollendae effert. Proprie dicta redemptio, quae cum liberatione a peccatis identificatur, ab utroque propriis hominis viribus, exemplo Christi excitatis et confortatis, tribuitur. Iam antea hanc mere psychologiam theoriam redemptionis profitebatur Antonius Chrapowicki, qui Tarasio 1904 a. praemature mortuo, praecipuus eius patronus erat eique evolvendae ac perficiendae haud parum operae impendit. Quae quomodo ei successerit iam videamus.

2. Antonius Chrapowickij.

A. Chr. succesive munere Rectoris Academiae Moscoviensis et Kasanensis atque episcopi plurium dioecesium ac tandem

⁸⁾ L. c. 148—152.

⁹⁾ L. c. 125.

¹⁰⁾ L. c. 126.

metropolitae Kijoviensis functus, patriae exul praeses erat synodi Russorum peregrinorum, quae sedem suam fixit in oppido Karlowce in Jugoslavia, ubi mense Augusto 1936 a. e vita decessit. De redemptione scribebat A. semel atque iterum, et primo quidem in periodicis theologicis ¹¹⁾, dein in nova editione Prolixioris Catechismi Philareti ¹²⁾ ac tandem in libello separatim edito sub titulo „Dogma redemptionis“ ¹³⁾. Cum hoc fuerit ultimum eius opusculum, in quo, prout ipse fatetur, maiori claritati studuerit, ex illo sententiam eius cognoscamus.

A. incipit a laudandis illis scriptoribus russiae, qui soteriologiam theologorum occidentalium nec non orientalium, illorum vestigia prementium, acri crisi subiecerunt, inter quos in specie tamquam insigniter meritos Sergium et Tarasium commemorat ¹⁴⁾. Horum laboribus scientificis constare dicit: a) doctrinam, quae in orthodoxis catechismis et in scholis theologicis traditur, mutuam esse ex non-orthodoxa doctrina latina, proposita ab Anselmo Cantuariense, Thoma Aquinate et Petro Lombardo; b) hanc doctrinam non inveniri in Sacra Scriptura nec apud sanctos Patres, cum ibi non occurrant termini meriti et satisfactionis, quibus iuridicis conceptibus tota doctrina de redemptione innititur, quae in catechismis et scholis exponitur; c) probatum est hanc doctrinam non posse neque cum vera idea iustitiae nec misericordiae divinae componi, quamvis utrumque attributum divinum recte interpretari praetendat; d) constat hanc doctrinam derivari ex iure romano et feudali medii aevi nec non ex idea duelli ¹⁵⁾.

His tamquam sufficienter probatis supersedens intendit A. in naturam redemptionis inquirere ac determinare nexum, qui inter passionem Christi et nostram salutem intercedat ¹⁶⁾. „Cum salus nostra nihil aliud sit nisi nostra spiritualis perfectio, suppressio concupiscentiae, progressiva liberatio a cupiditatibus et communio cum Deo“ ¹⁷⁾, quaeritur, „quomodo passio Christi nos in hac pugna

¹¹⁾ *Cerkownyj Wiestnik* 1890; *Bogoslowskij Wiestnik* 1894; 1915.

¹²⁾ *Opyt chryst. prawoslawnowo Katichizisa*, Srem. Karlowci 1924.

¹³⁾ *Dogmat iskuplenija*, Srem. Karlowci 1926.

¹⁴⁾ L. c. 2, 13.

¹⁵⁾ L. c. 2.

¹⁶⁾ L. c. 7, 12 ss.

¹⁷⁾ L. c. 13, 16.

adiuvet et cur independenter ab illa sanctitatem et communionem cum Deo consequi non possemus“¹⁸⁾. Praetermisso, cum fidei orthodoxae non satisfaciat, responso Socinianorum, qui mysterium redemptionis ad influxum doctrinae et exempli reducebant¹⁹⁾, putat A. essentiam operis Redemptoris Ipsius compatiente caritate constitui. Nam caritati compatienti, quae peccatum proximi ita dolet quasi proprium esset, sine dubio competit virtus regenerativa. Hoc experientia constat et eo explicatur, quod qui ex caritate pro altero patitur, quodammodo in animam eius intrat ac omne malum ex ea expellere, bonum vero ad vitam excitare studet²⁰⁾. Hoc modo Christus imperfectionem ac vitiosam voluntatem nostram in anima sua caritate plena perpessus, in naturam nostram fontem novarum virium vivificantium instillavit et quidem omnibus, qui illas desiderant vel desiderarunt²¹⁾, quibus efficitur, ut quod antea nobis videbatur delectabile, appareat abominandum et quod videbatur durum, fiat iucundum²²⁾.

Naturam illius influxus, quod attinet, quem Christus compatiente caritate sua in animam credentis exercet, A. vehementer reicit suppositionem quasi non admitteret nisi subiectivam et moralem eius efficaciam, necnon solam consciam subiectionem voluntatis amati. voluntati amantis, et affirmat se agnoscere „aliquid multo profundius obiectivum in ipsa natura animarum nostrarum existens“²³⁾. Nemo autem nisi Deus-Homo potuit nos redimere, non propterea quia ad satisfaciendum irae divinae opus erat tam pretiosa victima, sed quia nemo nisi Deus omnisciens et omnia comprehendens omnes homines singillatim adamare et nemo nisi homo suam sanctitatem in corda hominum transfundere potuit²⁴⁾. Internam vero rationem huius possibilitatis deducit A. ex unitate naturae humanae, quam probat „ex manifestatione universalis collectivae voluntatis humanae, quae quidem extrinsecus nobis datur, sed simul nobis propria est; ulterius ex dictaminibus conscientiae et compassione cum proximis; omnem vero dissensum,

¹⁸⁾ L. c. 16.

¹⁹⁾ L. c. 12.

²⁰⁾ L. c. 20 ss.

²¹⁾ L. c. 31 ss.

²²⁾ L. c. 21.

²³⁾ L. c. 32.

²⁴⁾ L. c. 31; 34.

inimicitiam, iram esse aliquid innaturale et ex peccato provenire ideoque simul cum peccato a Christo auferri²⁵⁾).

Tandem integram suam explicationem „mysterii redemptionis, maxime vero eius obiectivi aspectus“ hisce comprehendit: „Salus a Christo humanitati parata non continetur solum conscia appropriatione principalium veritatum Christi eiusque amoris, sed eo quoque, quod Christus sua compatiens charitate medium parietem peccato inter homines statutum destruit atque mysticam unitatem naturae (humanae) restituit et immediatum aditum in spiritualia interna humanae naturae obtinet, ita ut homo, qui Eius influxui se subiecit, non solum in cogitationibus suis, sed in ipso caractere suo inveniat dispositiones, sensus ac desideria, non ab ipso, sed a Christo provenientia; et nunc ab eius libera voluntate dependet, utrum eis ad vitam uti, vel ea malevole abicere velit“²⁶⁾... „Introitus naturae Christi, Eius bonorum desideriorum, immediate in nostram naturam vocatur gratia, quae invisibiliter nobis infunditur in variis dispositionibus animi et occasionibus nostrae vitae, praecipue vero sacris sacramentis digne susceptis“²⁷⁾).

Hoc modo putat A. se iuridicum aspectum redemptionis vitare et obiectivum eius valorem servare posse. Sed evidenter fallitur; nam descriptio redemptionis, quam tradit, non spectat opus redemptionis Christi, cum visibiliter in terris degeret per actum, sed illius fructum fructusque applicationem, quam Christus conferendo sive instillando singulis hominibus gratiam adhuc operatur et usque ad finem mundi operabitur. Ab hac actione distinguuntur, quae Christus ab ingressu in mundum usque ad mortem vel ascensionem suam in coelum propter nostram salutem fecit et passus est, quae nomine redemptionis obiective sumptae designari solent, cui a doctrina catholica obiectivus

²⁵⁾ L. c. 36 s.

²⁶⁾ L. c. 40.

²⁷⁾ L. c. 40. In supra citato Prolixiore Catechismo A. sententiam suam sequenti, aliquatenus diverso, modo exponit: „Dolores animae Christi propterea facti sunt nostra redemptio, quia compatiens amor arcano modo spiritum Eius cum nostris animabus coniunxit, et nos propter illos a Spiritu Christi quasi fontem sanctitatis haurimus eoque peccatum vincimus... Vis amoris Christi nos adiuvans in pugna cum peccato vocatur gratia“. *Opyt Christ. Prawosl. Katech.* 46 s.

valor satisfactionis ac meriti, a Rationalistis vero nonnisi valor subiectivus sive psychologicus adscribitur. A. negligit omnino istam distinctionem et omittit valorem redemptivum passionis ac mortis Christi, vel nexum qui inter passionem ac mortem Christi et collationem gratiae intercedit, clarius explicare — quamvis id initio opellae suae explicite sibi proposuerit ac promiserit²⁸⁾. Cum autem omnem rationem satisfactionis, sacrificii propitiatorii et meriti reiciat²⁹⁾ vix aliam quam psychologicam efficaciam admittere potest; talem quoque solam exempla, quae probandi gratia affert, suadent³⁰⁾.

Hoc sensu intellexerunt sententiam A. complures quoque theologi russi, qui eam vehementer tamquam haeticam oppugnarunt, inter quos etiam metropolita Parisiensis Eulogius. Ipso praeside Congressus eparchialis 1927 a. Parisiis habitus declaravit metropolitam Antonium in suo catechismo nec non in libello c. t. „Dogma redemptionis“, unum ex essentialibus elementis doctrinae Ecclesiae orthodoxae de redemptione negare³¹⁾.

Etiam W. N. Iljin, professor Orthodoxi Instituti Theologici Parisiensis recensens libellum Antonii de redemptione exprobrat ei mere moralem-psychologicam aestimationem dogmatis et accessum ad psychologismum et rationalismum protestantium in Germania³²⁾. Alius eiusdem Instituti professor, Sergius Bułgakow, metropolitam Antonium iis adnumerat, qui uti Abaelardus et liberales theologi Protestantes, mortem Christi tantum tanquam exemplar compatientis charitatis et heroicae fortitudinis considerant³³⁾.

Antonius ipse declaravit in fine opellae suae de Redemptione se paratum esse a sua sententia recedere, si quis sibi demonstraverit eam non concordare cum doctrina Ecclesiae³⁴⁾, et reipsa

²⁸⁾ L. c. 16.

²⁹⁾ L. c. 2; 46 ss.

³⁰⁾ L. c. 20 ss.; 40 ss.

³¹⁾ Cf. *Cerkownyj Wiestnik*, Paris 1927, II, 14; *Orientalia christiana*, n. 67 (1931), 154.

³²⁾ In periodico *Puł'*, Paris 1927, VIII, 156 s.

³³⁾ In opere, infra accuratius recensendo, c. t. *Agnus Dei (Agneć Bożij)*, Paris 1933, 373.

³⁴⁾ L. c. 58.

1927 a. suam explicationem mysterii redemptionis publice retractasse dicitur³⁵⁾ atque in „Collectione selectarum commentationum“ eius, edita occasione 50 jubilaei eius sacerdotalis³⁶⁾ opusculum de Redemptione non invenitur. Propterea autem psychologica theoria redemptionis nequit dici a theologis russiae esse omnino derelicta; nacta est enim fautorem unum ex notissimis scriptoribus theologis, Nicolaum Arseniew, professorem Studii Theologiae orthodoxae in Universitate Varsaviensi, qui sententiam metropolitanae Antonii Chrapowickij non quidem formaliter, sed quoad rem, aliquatenus tantum mutatam, aperte defendit.

3. Nicolaus Arseniew.

N. A. publici iuris fecit³⁷⁾ 1928 a. atque 1935 a. denuo edidit brevem commentationem „De nostra redemptione“³⁸⁾, magis ad modum vividi sermonis quam inquisitionis scientificae quoad maximam partem ex textibus biblicis nec non patristicis et liturgicis compositam. Hic occurrit idem atque apud metropolitanam Antonium defectus distinctionis inter redemptionem obiective ac subjective sumptam, sive inter opus redemptionis a Christo olim operatum eiusque in decursu temporum singulis hominibus applicationem, quem similis defectus claritatis consequitur.

A. incipit ab interrogatione: „In quo consistit nostra redemptio? in quo nostra salus?“ Respondet verbis symboli Nicaeno-Constantinopolitani: „qui propter nos homines et nostram salutem incarnatus est“, ex quibus concludit salutem nostram operatam a Christo constitui imprimis incarnatione Filii Dei. In quo manifeste vocem salutis sensu obiectivo usurpat, cum ipsa incarnatione Filii Dei nullius adhuc individui, sed solummodo generis humani collective sumpti salutis perfecta est, singulis vere hominibus data est tantum possibilitas vel facultas recuperandae salutis, quam A. recte in eo reponit, quod incarnatione Filii Dei aeterna vita in mundum intravit. Inde autem A. statim ad sa-

³⁵⁾ Cf. *Orientalia christiana*, n. 57 (1931), 256.

³⁶⁾ *Zbornik izbrannych sočinjenij blaž. Antonija metropolita*, Belgrad 1935, 432 pag.

³⁷⁾ *Ob iskupljenij naszem*, ELPIS IV, Warszawa 1928.

³⁸⁾ In collectaneis: *Iz žizni duha*, Warszawa 1935, 17—38.

lutem subiective sumptam transit, cum dicat flumen aeternae vitae nos, qui credimus, apprehendisse et factum esse principium nostrae propriae vitae, flumen fluens in vitam aeternam³⁹⁾.

Modum quo hoc fit, explicat A. eo, quod Christus tamquam novus Adam factus est caput novae humanitatis, et qua tale, tamquam vitis influens in palmites, nostram naturam peccato corruptam renovavit, quod probat ex notissimis textibus S. Pauli nec non ex doctrina Patrum, qui uti S. Irenaeus et S. Athanasius de renovatione et recapitulatione naturae humanae per incarnationem Filii Dei facta loquuntur⁴⁰⁾.

Ab incarnatione transit A. statim ad resurrectionem Christi, quam operis salvifici fastigium esse dicit, quia in resurrectione Christi nos quoque resurreximus et corrupta nostra natura in Eius clarificata humanitate locata est cum Patre et Spiritu S.⁴¹⁾.

Regrediendo ad passionem ac mortem Christi concedit A. gravissimum eius momentum et fatetur passionem ac mortem Salvatoris ad essentiam christianismi pertinere, cum evangelium Christi sit evangelium Jesu Christi crucifixi et mors eius „fundamentum nostrae salutis, nostrae reconciliationis cum Deo, nostrae redemptionis“⁴²⁾.

Ad quaestionem vero quomodo passio Filii Dei explicanda sit et quomodo in ea redemptio nostra fundetur, primo responsum dat negativum reiciendo theoriam satisfactionis, et quidem non solum prouti a S. Anselmo proposita, sed etiam a S. Thoma correcta atque a Concilio Tridentino sancita est, cum veram ideam Dei detorqueat atque relationem Dei ad creaturas mere iuridice et ad modum relationum inter homines vigentium fingat⁴³⁾.

Deinde positive rem explicans opus redemptionis duplici elemento constitui asserit, nempe manifestatione infinitae charitatis divinae, quae facta est in incarnatione, passione ac morte Filii Dei, quaeque sola nostra ex peccato lapidea corda calefacere potuit, necnon perfectissima oboedientia Deo praestita

³⁹⁾ L. c. 18.

⁴⁰⁾ L. c. 19.

⁴¹⁾ L. c. 22 ss.

⁴²⁾ L. c. 26.

⁴³⁾ L. c. 28 ss.

a Christo pro omnibus hominibus, qua Deo reconciliati sumus non propter extrinsecam formalem satisfactionem datam, sed quia iterum idonei facti sumus intrandi in communionem vitae cum Deo ⁴⁴).

Quomodo autem oboedientia Christi facta sit nostra oboedientia, Eiusque iustitia nostra iustitia, in hoc A. iam non inquirit, sed acquiescit in simplici animadversione in eo haberi momentum mysticum nostrae redemptionis et nos vocari in Sacra Scriptura membra corporis Christi, Ipsumque palmitem nos autem vites ⁴⁵).

Inde statim se convertit ad gravissimam, quam vocat, quaestionem: „Cur debebamus non tantum Deo nos subicere, sed etiam pati, et cur Christus passus est non tantum propter nos, sed etiam pro nobis, i. e. nostra vice?“.

Ad solvendum hoc problema provocat A. ad rationes iam a Tarasio Kurhanskij allatas ⁴⁶), dicens passionem Christi necessariam fuisse nostrae confortationis gratia ad crucem tollendam. Nam non possumus aliter ad Deum pervenire et vitam consequi nisi via crucis. Crux est enim necessarium medicamentum pro homine peccatis corrupto. Crucem tollere necesse est ad vincendum amorem proprium et exuendum veterem hominem. Sed non fuimus idonei propriis viribus suscipiendi dolores crucifixionis et depositionis veteris hominis. „Demum cruce Christi constituimur idonei suscipiendi cruciatus, participando Christi crucem, nosmetipsos crucifigendo cum eo. In hoc est vis passionis eius — non in quocumque subiectivo, sed reipsa obiectivo, absoluto et vero sensu — pro nobis redemptiva“ ⁴⁷). Hoc est vivificans mysterium crucis Domini. Christi vita in nobis, nostra participatio crucis et vitae Eius non est subiectivus sensus sed aliquid profunde — obiectivum, quamvis arcanum (tajnstvennoe) et gratiosum (błagodiatnoe) ⁴⁸). Ad redemptionem nostram debet Christi facinus nostrum facinus fieri, Eius mors nostra mors, Eius vita nostra vita. Non vero nostra vi (virtute), sed

⁴⁴) L. c. 33.

⁴⁵) L. c. 34.

⁴⁶) Cf. supra p. 4.

⁴⁷) L. c. 35.

⁴⁸) L. c. 36 ss.

Eius virtute. Haec est appropriatio operis redemptionis. Ipsa non est tantum extrinsecum obiectivum factum, sed tum extrinsecum obiectivum factum, tum intrinseca vita nostra⁴⁹⁾.

Haec quidem vera sunt et, prouti supra dictum est⁵⁰⁾, concordant cum doctrina catholica. Recte quoque A. inculcat obiectivam rationem influxus (sive gratiae) Christi, qua singuli homines Eius vitae participes fiunt — iisdem verbis ac metropolita Antonius utens — sed intrinsecum nexum inter gratiae collationem et ea, quae Christus in terris peregit ac passus est, necnon valorem redemptionis obiective spectatae A. non magis quam metropolita Antonius declarat.

Praeter manifestationem infinitae caritatis divinae commemorat A. quidem tamquam essentielle redemptionis elementum etiam oboedientiam a Christo pro omnibus hominibus Deo praestitam, sed nullo modo explicat, qua ratione Christus sua oboedientia nos redemerit. Item ne verbo quidem tentat A. solutionem difficultatis, ab ipso propositae, quae contra eius redemptionis theoriam inde oritur, quod Christus nostra vice passus et mortuus esse dicitur. Omnino autem insufficiens est eius responsum ad aliam difficultatem, ex iis locis Sacrae Scripturae derivatam, quibus mors Christi tamquam manifestatio divinae iustitiae exhibetur. Provocat enim solum ad hoc, quod secundum doctrinam S. Pauli iustitia legalis tantum ad Vetus Foedus pertinebat, in Novo vero Testamento abrogata est⁵¹⁾.

Tandem parum clara est propositio, qua in fine sententiam suam hoc modo comprehendit: „Redemptio nostra proinde non est manifestatio irae Dei, neque processus iuridici, nec iuridicae-extrinsecae satisfactionis iustitiae divinae oblatae, sed infiniti divini amoris, qui solus iustitiam restituere et adimplere nosque coram Deo iustos facere potest⁵²⁾.

Si his verbis nihil nisi crassus anthropomorphismus in concipienda ira Dei et mere extrinseca satisfactio reiceretur, non esset cui contradiceretur, nisi inquantum eiusmodi con-

⁴⁹⁾ L. c. 37.

⁵⁰⁾ Cf. supra p. 7.

⁵¹⁾ L. c. 37.

⁵²⁾ L. c. 38.

ceptus apud theologos catholicos supponerentur⁵³). Si vero A., proprie dictam iustitiam ex opere redemptionis omnino excludere vellet, quod ex antea dictis sequi videtur, contradiceret doctrinae revelate et A. in accomodatione ad placita Rationalistarum ulterius progredieretur quam metropolita Antonius, qui satisfactionem iustitiae divinae datam saltem tamquam secundarium et accidentale elementum operis Christi admittebat⁵⁴). Valde dolendum est, quod uterque considerare omisit rationes, quibus multum ab ipsis laudatus⁵⁵) P. Swietlow probat in opere redemptionis perfectissimam harmoniam inter amorem et iustitiam manifestari, negatione autem iustitiae veram Dei ideam penitus perverti⁵⁶), quod theologo catholico constanter docebant.

II. QUI OBIectivum VALOREM REDEMPTIONIS DEFENDUNT.

1. *Sergij Bułgakow.*

Cum recensiti hucusque auctores fere non nisi subiectivum ac psychologicum momentum redemptionis agnoscerent, exstitit nuperrime theologus russus, qui data opera obiectivum eius valorem defenderet. Hoc praestitit Sergius Bułgakow, Rector Orthodoxi Instituti Theologici Parisiensis, scriptor ceterum minime nimio studio conservandae doctrinae fidei, traditione acceptae, sed potius illimitato eius progressui addictus⁵⁷), qui in libro cui titulus „Agnus Dei“ de opere Christi 118 paginis tractat⁵⁸).

⁵³) Quantopere eiusmodi similesque suppositiones sint iniustae cf. Bukowski, *Die Genugtuung für die Sünde* op. c. 39 ss.

⁵⁴) *Dogmat iskupl.* 44.

⁵⁵) Antonij, *Dogmat iskupl.* 3; Arseniew, *Iz žizni duča*, 30.

⁵⁶) Swietlow, *Krest Christow* 2, 20 ss.

⁵⁷) In commentatione quadam c. t. „In viis dogmatis“ nuper haec scripsit: „Divinitus sapientes oecumenicorum conciliorum definitiones in sua totalitate sunt quidam sacri myhi dogmatici sive symbola inexplicata („massivnyje“ — solida), qui semper indigent, ut ita dicamus, nova explanatione dogmatica sive translatione in linguam theologicam respectivi temporis. Nos non possumus recipere eos amplius ita exacte, ut suis coaetaneis datae erant in lingua philosophica-theologica antiquitatis“ („In viis dogmatis“ („Na putjach dogmy“), in periodico „Put“ nr. 37, Februario 1933, 32).

⁵⁸) *Agnec Božij*, Paris 1933, 351—468.

Mentem suam auctor iam eo manifestat, quod olim communiter ab orientalibus quoque theologis admissa divisione tractatus secundum tria munera Salvatoris utitur et opus redemptionis, sensu strictiore acceptum, tamquam functionem muneris sacerdotalis designat⁵⁹⁾.

Exorditur autem B. a statuendo principio *munus Summi Sacerdotis* exhibere generalissimum conceptum operis redemptionis, quia redemptio generis humani eo peracta est, quod Christus seipsum, suam vitam, suam carnem et sanguinem Deo in sacrificium obtulit. Addit vero statim munus sacerdotale Christi, quamvis communiter ad redemptionem sive reconciliationem generis humani cum Deo referatur, re ipsa tamen ad hunc finem non restringi, sed latius patere, cum etiam ad deificationem humanae naturae se extendat. Quia autem nostra deificatio cum redemptione intime connectitur atque hanc uti conditionem praesupponit, ideo theologos recte prius de redemptione, postea de deificatione agere⁶⁰⁾.

Veritatem muneris sacerdotalis Christi probat B. ex relationibus Sacrae Scripturae de institutione Eucharistiae, imprimis vero ex terminis sacrificialibus a Christo adhibitis nec non ex epistola ad Hebraeos. Inde et ex nonnullis locis biblicis⁶¹⁾ concludit B. Christum ab ipsa incarnatione et ingressu in mundum munus sacerdotale suscepisse eoque per totam vitam, tentationibus ac doloribus plenam functum esse, praecipue vero in fine, quando sanguinem et vitam suam in cruce Deo Patri per Spiritum Sanctum obtulit, factus sacerdos simul ac victima⁶²⁾.

Sacrificio hoc peractam esse redemptionem ac reconciliationem generis humani cum Deo constat secundum B. non solum ex pluribus textibus Sacrae Scripturae, sed etiam „ex immutabiliter claro testimonio nostrae immediatae conscientiae religiosae“. Ab hoc inconcusso facto initium sumere necesse est quoque in tractatu scientifico de redemptione, in quo inquirendum est imprimis, cui, cur, et quomodo illud sacrificium oblatum fuerit et quanam sit eius effectus. Ad omnes has quaestiones variae theologorum theoriae varium dant responsum, cum communiter ad unum

⁵⁹⁾ L. c. 363.

⁶⁰⁾ L. c. 363 s.

⁶¹⁾ 1 Petr. 1, 19 s. ; Jo. 1, 29; Apoc. 5, 9 s.

⁶²⁾ L. c. 366 s.

tantum alterumve facti illius momentum attendant et ideam in se veram solum ex parte quadam attingant⁶³).

Descendendo ad particularia dicit B. SS. Patres imprimis disputasse de quaestione, cuiusmodi Christus suum sacrificium obtulerit, deinde de eius effectu. Sub influxu severi ascetismi et spiritus iuridici considerabatur in Occidente redemptio tamquam actus iustitiae, unde orta est classica theoria Anselmi Cantuariensis, quae mortem Dei-Hominis ad satisfaciendum Deo absolute necessariam fuisse docebat atque maximum influxum nacta est tum in theologiam occidentalem tum orientalem. Non defuerunt autem, qui illam theoriam vehementissime oppugnarent et mortem Christi non nisi uti exemplar caritatis ac heroicae fortitudinis considerarent, inter quos praecipue Abaelardus, liberales theologo Protestantes et ex Russis metropolita Antonius⁶⁴).

Hac brevissima relatione historica praemissa B. transit ad propriam suam sententiam exponendam. Incipit vero a probanda *necessitate redemptionis*, quam ex essentiali eaque mutua relatione deducit, quae inter Deum hominemque intercedat, et quidem sequenti fere modo:

Deus creans ex nihilo mundum cum homine tamquam eius capite simul curam sortis hominis suscipit, respectu habito humanae mutabilitatis, ex qua in coniunctione cum libera voluntate hominis possibilitas peccati sequitur. Proinde aeternum decretum creandi debebat necessario etiam hominis salvationem, reconciliationem ac deificationem, ad quam homo destinatur, includere. Nam non demum peccatum commissum, sed ipsa mutabilitas mundi, ideoque ipsa essentialis proprietas creaturae, qua talis, separat eam a Deo distantia impermeabili, quam solus Deus, non vero homo, transire potest. Haec est generalis ratio incarnationis Dei, qua caritas Dei erga mundum manifestatur⁶⁵).

Incarnatio constituit secundum actum creationis eiusque conclusionem. Deus creans mundum in se suscipit periculum eius salutis statuitque per seipsum defectus creaturae supplere eamque deificare atque aeternitate donare. Proinde idea redemptionis cum creationis idea inseparabiliter connexa atque, sensu praedicto,

⁶³) Ibid.

⁶⁴) L. c. 373.

⁶⁵) L. c. 373 s.

ontologice cum illa identica eique immanens est⁶⁶). Suppositio vero cuiuscumque occasionalismi statuentis exclusivam connexionem incarnationis cum lapsu Adami omnino reiicienda est, nam ex tali suppositione sequeretur Deum mundum creatum primo, quasi experimenti gratia, sibimetipsi reliquisse et post lapsum Adami novo consilio incarnationem constituisse⁶⁷).

Quia mundus, quamvis in ratione creaturae sit perfectus, qua creatura ontologice imperfectus est, atque nequit a Deo sibimetipsi relinqui, prout Deistae volunt, sed debet sua naturali imperfectione exui. „Deus debet creaturam facere iam non-creaturam, sive super-creaturam, illamque deificare“; ac propterea incarnatio erat necessaria⁶⁸).

Reipsa autem mundus indigebat non solum liberatione a relativitate et mutabilitate, sed etiam a sequelis abusum liberae voluntatis creatae. Quare Deus factus homo debuit fieri redemptor, victima et agnus, qui tolleret peccatum mundi. *Redemptio nostra peracta est eo*, quod Christus omnia mala usque ad mortem, quae ei in terris evenerunt, tamquam voluntatem Patris suscepit et seipsum suamque oboedientiam usque ad mortem crucis tamquam sacrificium pro peccatis mundi obtulit, in quo praecipue suo munere Sacerdotis functus est⁶⁹).

Passio Christi erat quidem ex una parte eius passio personalis, nam cum natus esset determinato tempore ac loco, *erat ipse homo individualis* et qua talis habebat sua propria fata, intrinseca et extrinseca, potuit proinde sentire dolorem et pati sicut ceteri homines. Sed historica eius individualitas erat tantummodo quasi larva historiae („maska istorij“), sine qua impossibile est intrare in mundum empiricum. In rerum veritate Christus erat Deus-Homo et qua talis *homo universalis* („wsečelowiek“). Personalitas eius continebat in se omnes humanas imagines („obrazy“), erat personalitas universalis („wseličnost“). Christus suscepit enim totam naturam humanam sine ulla limitatione. Suscipiendo vero generice non individualiter humanam naturam identificavit se Christus cum toto genere humano atque eo ipso suscepit etiam omnia humana peccata tamquam propria. Relatio inter Christum

⁶⁶) L. c. 374.

⁶⁷) Ibid.

⁶⁸) L. c. 374 s.

⁶⁹) L. c. 375 s.

et genus humanum non est iuridica, sed ontologica, cum in reali unitate naturae humanae fundetur, non obstante pluralitate personarum ⁷⁰⁾.

Haec identificatio („otozestwlenie“), vi cuius natura humana Christi connectitur cum natura omnium hominum, dilatat humanam vitam Christi in totam humanam historiam.

Si vero quaeritur, cuiusnam rationis illa connexio sit, patet eam non esse externam, empiricam, quia Christus vitam humanam individualement duxit, determinatam ac propterea limitatam quoad locum et tempus. Quare admittenda est connexio interna, quae in eo fundatur, quod incarnatio Christi quoad sua momenta temporis et eventus valorem habet pro omni tempore, i. e. perennem. Quod confirmatur anno ecclesiastico, in quo terrena vita Christi cum suis eventibus realiter-commemoratively reproducitur. Christus vivit in sua humanitate ac patitur cum illa passione eius atque ab eius peccatis, simul sedens in gloria ad dexteram Patris. Quod cum nobis maxima antinomia esse videatur, patet quam imperfecta sit nostra cognitio in hoc saeculo ⁷¹⁾.

Praedicta autem identitas Christi cum tota humanitate nequit eo sensu intelligi, quasi humanitas Christi locum propriae naturae hominis teneret vel eam removeret. Hoc repugnat subsistentiae naturae humanae eiusque libertati. Christi natura humana non supplet congenitam naturam nostram, sed con-vivit, com-patitur, et co-existit cum ea. Inter illas habetur identitas dinamica duorum principiorum, non vero statica unitas. Identificatio naturae humanae Christi et Adami admittit varios gradus variasque formas, prout nostram salutem operamur, sed nunquam transit in simplicem unitatem. Post incarnationem orta sunt in humanitate duo centra, divinum et creatum, quae possunt coincidere et se vitaliter identificare, sed non se destruere ⁷²⁾.

Redemptio nostra autem eo facta est, quod *Novus Adamus peccatorum immunis identificavit se cum peccaminoso Vetere Adamo eiusque vitam peccatis plenam vixit*. Haec identificatio effecit veram unitatem („edinstwo“) amborum centrorum naturae humanae et Christus suscepit libero actu pro sua natura humana

⁷⁰⁾ L. c. 224; 376 s.; 392.

⁷¹⁾ L. c. 377. s.

⁷²⁾ L. c. 378.

peccatorum immuni peccaminosam naturam, habentem suum centrum in Adamo. Vi illius identificationis Christus apparebat coram Deo tamquam peccator, tamquam universalis homo-peccator. *Peccatum non tantum idealiter, sed etiam realiter ab Eo susceptum* onerabat Ipsum eo modo, ut ille solus coram Deo responsabilis fieret pro omni peccato humano. Dilectum Filium, in quo Pater sibi complacuit, premebat omnis ira Dei propter peccatum, quod in se portabat; nam „portare peccatum“ non significat tantum illud idealiter sibi adscribere, sed reipsa illius onus experiri, perpeti, vivere ⁷³).

Quia Deus falli nequit et personarum acceptationem nescit, redemptio nequit solum secundum apparentiam fieri. *Peccato competit eadem realitas ac mundo et homini*, cum sit eorum status. Peccatum quidem non est a Deo factum, sed opus creatae libertatis; attamen haec quoque in omnibus suis actibus realis est realitate mundi et hominis; exinde reale est inhaerens ei peccatum, cum hac tantum differentia, quod mundus et homo, qua creaturae Dei, nequeunt annihilari, dum peccatum, qua opus creatae libertatis, debet destrui, vivi et superari, in quo proprie redemptio consistit ⁷⁴).

Filius Dei sub onere peccatorum mundi ipse fit remotus a Patre, qui eum sine misericordia calicem irae suae propter peccatum bibere facit, in quo testimonium identificationis proprie dictae inter Novum et Veterem Adamum habetur, quae solum Dei incarnatione facta est obiective possibilis. *Caro assumpta a Verbo erat caro peccaminosa*, quae quamvis immunis esset peccati personalis propter Verbi impeccabilitatem, tamen tota erat in suo peccato et per Eius humanitatem facta est Eius caro. Iustus suscipiens cum carne peccaminosa peccatum mundi, ipse coram Deo equiparatus est peccatoribus. Recedens a sanctitate in peccatum, immersit se in noctem peccati, in noctem Getsemanensem et dolores mortis ⁷⁵).

Sed quaeritur, *quomodo Deus potuerit peccatum mundi in se suscipere*, cum Deitas sit insociabilis cum peccato. Susceptio peccati ex parte Dei-hominis facta est solummodo eatenus possibilis, quate-

⁷³) L. c. 380.

⁷⁴) L. c. 380 s.

⁷⁵) L. c. 381.

nus Deitas in Eo se humiliavit et exinanivit ac quasi abscondit. Conservans omnem vim innatae naturae, quae nequit destrui nec minui, Deitas nihilominus fecit se potentialem, reddidit se in Deo-homine quasi destitutam activitate in tantum ut permetteret appropinquationem peccati et quasi consensit, ut Deus-homo peccatum mundi suum faceret. Divina hypostasis in Deo-homine, exercens functionem hypostaticam pro duabus Eius naturis, in redemptione quasi nonnisi functione hypostasis humanae fungebatur, quae facta est subiectum peccati, suscepti ab omnibus hominibus. In quantum functionem hypostaticam pro natura divina exercet, hypostasis divina Verbi in *exinanitione* („kenosi“) quasi exuta est divinitate. Divinum Ego verbi, postquam factum est Ego Dei-hominis Christi, in ipso Christo manifestavit se tamquam humanum Ego Novi Adami et in eius identificatione cum Vetere Adamo suscepit in se peccata mundi, simul manens necessario immutabile in sua Deitate ⁷⁶⁾.

In susceptione peccatorum mundi distingui potest quaedam sui generis oboedientia passiva et activa Christi. Nomine prioris comprehendi possunt quae Christus passus est a peccatis extrinsece manentibus et a peccatoribus Ipsum persequentibus; nomine obodientiae activae intelligenda sunt quae inde passus est, quo actu omnino libero peccata mundi intrinsece sibi appropriavit identificando suam peccati immunem naturam cum peccaminosa natura Veteris Adami. *Quomodo haec susceptio facta sit, est mysterium Dei-hominis, qui se fecit noxium et responsabilem pro peccatis mundi* ⁷⁷⁾.

Calicem sive baptismum, i. e. obiectum internae pugnae Christi in horto Getsemani constituebat tum mors corporis subeunda tum mors animi, i. e. peccatum omnium hominum, Jesum opprimens suoque mortifero halitu amplectens. Peccatum factum quasi proprium Christi infecit Ipsum Creatorem mediante Eius creatura ⁷⁸⁾.

Secundum fidem christianam Christus in horto Getsemani perpressus est et vixit („izžyl“) omnia peccata totius humanitatis et uniuscuiusque hominis. In natura Novi Adami superata et infir-

⁷⁶⁾ L. c. 381 s.

⁷⁷⁾ L. c. 383 s.

⁷⁸⁾ L. c. 387.

mata sunt peccata naturae Veteris Adami, ira Dei remota et extincta est, iustitiae Dei data est satisfactio („udowletworenie“), oblatum pretium redemptionis, facta est reconciliatio ⁷⁹⁾.

Si quaeritur, *quomodo peccata omnium hominum potuerint in individuali vita humana et tam brevi tempore experiri*, non sufficit provocare ad hoc, quod Christus non solum homo est sed etiam Deus, ac proinde iusto iudicio aestimari debere non tantum dolores Christi-hominis sed pondus quoque Eius Divinitatis. Nam Divinitas tantum se minuit, ut Eius humanitati permetteret in se suscipere atque in statu derelictionis a Deo experire omnem vim peccatorum mundi. Quare responsum potius exinde petendum est, quod Christus non empirice vel extensive omnia peccata expertus est, sed quadamtenus intensive, realiter autem et aequivalenter. Unione hypostatica ac deificatione viribus immense auctis Christus prophetica scientia omnia omnium hominum peccata cognovit et brevissimo tempore vixit (expertus est) atque iram Dei ac convenientem poenam sustulit. Nonnisi deificata natura humana Dei-hominis erat capax realiter experiendi peccata omnium hominum ⁸⁰⁾.

Poenam, quam Christus perpessus est, aequivalebat illi, quae ipsis peccatoribus imminere, i. e. poenae inferni. Sed falsa est sententia quorundam reformatorem, qui docebant Salvatorem proprie dictas poenas inferni passum esse. Nam poenae inferni includunt statum animae peccatis dehonestatae perversisque desiderii agitatae atque impotentiae ad bonum, qui a Christo excluditur ⁸¹⁾.

Ex altera autem parte incideret in errorem doketismi, qui negaret Christum peccatum cum omnibus eius sequelis suscepisse, i. e. cum onere irae et divinae aversionis. Si peccatum experitur, concrematur ira Dei, quae significat punitionem subiecti, quod peccatum gestat. Iustitia divina nescit acceptationem personarum; propterea peccatum debet etiam a Deo-homine perpeti („wystradan“), qui illud in se suscipit ⁸²⁾.

Ex parte divina redemptio est sacrificium amoris sui ipsius pro salute mundi; nam „facies amoris in ea tegitur facie iustitiae,

⁷⁹⁾ L. c. 387.

⁸⁰⁾ Ibid.

⁸¹⁾ L. c. 390.

⁸²⁾ L. c. 391.

vi cuius peccatum usque ad finem perpeti debet, ut reconcilietur, cum Deo, qui illud gestat, etiamsi hic sit unicus Filius Dei“. Iustitia divina est implacabilis et nescit acceptationem personarum, neque potest consistere, etiamsi iudicium eius cadat in ipsum Deum, qui in Deo-homine in se peccatum suscepit una cum natura humana. Quia venia dari potest solummodo peccatori, non vero peccato, ideo Deus, ut possibilitatem veniae peccatori dandae inveniret, in se ipsum satisfactionem iustitiae divinae dandam pro peccato humano suscepit. Iustitia autem in eo erat, quod auctor existentiae hominis sequelam actus creationis in se suscepit, nempe possibilitatem peccati, quae perducta est ad actum⁸³⁾.

Verumtamen *redemptio* non potuit restringi ad susceptionem peccati sive mortis spiritualis, sed *debuit etiam mortem corporalem includere*, ut se ad totam naturam humanam extenderet. Id requirebatur imprimis ad perfectionem sacrificii oboedientiae. Deinde ipsa quoque redemptio non fuisset plena, quia mors est sequela peccati. Quare propter susceptionem peccati debuit Christus non solum mortem spiritualem experiri, uti falso opinatur metropolita Antonius, sed etiam mortem corporis, et quidem aliter atque alii homines. Tamquam Novus Adam et Redemptor debuit Christus corporaliter experiri dolores ac mortem omnium hominum, mortem universalem et integram, non quidem quantitative, sed intensive et aequivalenter⁸⁴⁾.

Cum conceptus esset virtute Spiritus Sancti a Maria Virgine sine peccato originali, Christus immunis erat a passibilitate et mortalitate corporis, attamen utramque imperfectionem libere suscepit et acerbissimos dolores ac mortem pertulit. Mors haec erat corona totius magni operis Christi, propter redemptionem nostram suscepti, eius finis et initium novae vitae. In Sacra Scriptura mors Christi proponitur tamquam substantia sacrificii redemptivi vel tamquam ipsa redemptio et pretium redemptionis. Quare omnino reicienda est opinio eorum, qui mortem Salvatoris morti heroum aequiparant, qui propter ideam aliquam mortem subierunt⁸⁵⁾.

⁸³⁾ L. c. 392 s.

⁸⁴⁾ L. c. 396 ss.

⁸⁵⁾ L. c. 391. ss.

Si autem Rationalistae obiciunt repugnare iustitiae, ut alicui condonetur peccatum propter dolorem, quem alius perpressus est, nituntur falso principio individualismi et iuridismi, qui non nisi homines disiunctos et iustitiam formalem noverunt. Sed quod absurdum videtur abstractae iustitiae, naturale est amoris; amor enim removet distinctionem inter meum et tuum et novit non solum differentiam, sed etiam identificationem inter ego et tu. Christus non est alius pro omni homine, quia tamquam Novus Adam secundum suam essentiam naturaliter et vi amoris ex compatentia omne humanum individuum includit atque est homo universalis. Proinde peccatum quod vi amoris suscipit, non est pro eo alienum, sed eius proprium (peccatum), quamvis ab Ipso non commissum, sed solum acceptum. Inter Christum omnesque homines habetur non iuridica, sed ontologica relatio, fundata in reali naturae humanae unitate; propterea potuit Ipse mediante illa (natura) omne humanum peccatum suscipere. Unde in Eius sancta humanitate sicut etiam in universali personalitate Novi Adami omnis proles Adae suam iustificationem et reconciliationem cum Deo invenire ac consequi potest. *Sed obiectiva, a Christo tamquam Summo Sacerdote comparata salus debet ab unoquoque libera susceptione subiectiva ad effectum perducere. Gratia datur gratis, non infert autem vim sed persuadet, subicit (pokoriaet) et regenerat*⁸⁶).

Mors Christi erat extremus actus exinanitionis Deitatis et consummatio omnium operum muneris sacerdotalis Dei-hominis in terris. Mors Eius erat quidem violenta, sed ab Ipso libere admissa; ceterum similis morti aliorum hominum, causata est enim immediate separatione spiritus et animae a corpore. Deitas autem etiam in morte non separavit se a humanitate. Spiritus divinus manebat unitus cum humana anima, quae simul cum divino Spiritu *descendit in infernum* („w ad“), quo nomine designatur locus mansionis animarum omnium hominum usque ad Christum, tum pertinentium ad Vetus Foedus quam gentilium. Sic dicta *praedicatio in inferno* significat apparitionem Christi factam iis, qui tempore vitae in terris non poterant Eum videre. Non est fundatum, quod theologi catholici hanc apparitionem Salvatoris ad solos sanctos Veteris Testamenti restrin-

⁸⁶) L. c. 391 s.

gunt. Potius virtus illius praedicationis extendi debet ad omnia tempora pro iis, qui dum in terris vivebant, non potuerunt Christum cognoscere, sed ei in altera vita obviam fiunt, quia omnia facta vitae Christi in tempore peracta pro omni tempore valent. Descensus ad inferos agnoscitur debet tamquam continuatio muneris sacerdotalis Christi, non vero regii uti dici solet. Cum corpus Christi vere mortuum, sed incorruptum propter immediatam coniunctionem cum divino Spiritu triduo in sepulchro maneret, Summus Sacerdos sacrificium suum pro peccatis mundi oblatum producebat⁸⁷⁾.

Etiam *resurrectio Christi* cum respectu ad munus Eius sacerdotale considerari debet. Pertinet autem resurrectio ad clarificationem Salvatoris, quae praeterea ascensionem in coelum, sessionem ad dexteram Patris et missionem Spiritus Sancti comprehendit. Clarificatio refertur ad exinanitionem tamquam effectus ad causam, sed in ipsa clarificatione usque ad missionem Spiritus Sancti perdurabat quadamtenus status exinanitionis, inquantum clarificatio non propriis Eius viribus, sed omnipotentia Patris facta est. Simul vero cum Patre cooperabatur etiam Christus eoque munus suum sacerdotale consummabat, aperiendo nobis viam ad nostram clarificationem⁸⁸⁾.

Dum Christus post resurrectionem quadraginta diebus in mundo manebat, cum munere prophetico etiam munus sacerdotale continuabat, quod demum, simul cum exinanitione, *missione Spiritus Sancti* perductum est ad finem. Tamquam Summus Sacerdos Christus offerens sacrificium Suae humanitatis intercessionem suam apud Patrem obtinuit, ut hic ad perficiendum Eius opus in terra peractum Spiritum Sanctum mitteret, cui sua functione sacerdotali viam et locum paraverat, in quem descenderet, nempe Ecclesiam sive Corpus Suum mysticum⁸⁹⁾.

Hoc modo munere sacerdotali consummato Deus reconciliatus est cum lapsa humanitate et homo divinae vitae in Deo-homine, ad dexteram Dei Patris sedente, incorporatus. Verumtamen illa consummatio spectat tantum personam Christi, quae ex exinanitione ad gloriam transit, non autem opus Eius pro

⁸⁷⁾ L. c. 402—408.

⁸⁸⁾ L. c. 408 ss.

⁸⁹⁾ L. c. 416; 430.

mundo. Munus Eius sacerdotale potius aeternum est, semper durabit et continuabitur⁹⁰⁾.

Elevatio Christi in coelum non significat reditum Verbi in sinum SS. Trinitatis, quem nunquam, neque tempore exinanitionis reliquit — sed denotat finem exinanitionis, quam in incarnatione subiit, ac reditum in coelum in carne. In humanitate Sua glorificata sedet Christus ad dexteram Patris, in humanitate autem terrena, i. e. in Corpore Suo, quod est Ecclesia militans, Christus non est tantum in glorificatione, sed etiam in exinanitione. Verumtamen haec exinanitio non spectat divinitatem, sed humanitatem; praeterea non naturam humanam Jesu, quae ipsa quoque glorificata est in coelo, sed terrenam humanitatem, quae identificatur cum Eius humanitate qua Novi Adami. Deus-homo enim sedens ad dexteram Patris in coelis, vivit in humanitate sua tamquam Corpore suo, i. e. in Ecclesia et in unoquoque homine, usque ad finem mundi patiens et pugnans in Ecclesia militante contra potestates inferni. Proinde dicendum est opus Christi in terris, et quidem non solum opus Eius, sed passionem quoque nondum esse finitam et verbum Christi „Consummatum est“, ante mortem prolatum, intellegendum esse de consummatione operis redemptionis, ad quod missus erat in mundum, quo non excluditur illo opere consummato aliud Salvatori praestandum esse ad applicandos fructus victoriae ab Ipso reportatae⁹¹⁾.

Ontologicum subiectum passionis Christi erat Eius natura humana, sed divina quoque natura in sua exinanitione simul patiebatur. Nam propter inseparabilitatem personae a natura evidens est non posse non pati naturam, si patitur persona. Positive deducitur hoc ex definitione Concilii Chalcedonensis et ex doctrina de circuminsessione naturarum ac de theandrica actione Christi⁹²⁾.

Immo *tota SS. Trinitas participabat in passione et morte Christi ac simul cum Verbo crucifixa est.* Et primo quidem Pater, qui se quidem non incarnavit, sed mittens Filium suum subiit exinanitionem sacrificalem. Nam mittens dilectum Filium in mundum ad mortem, quodammodo se illo privavit et manebat

⁹⁰⁾ L. c. 431 s.

⁹¹⁾ L. c. 433—438.

⁹²⁾ L. c. 289 ss.

solus. Orbatus est Filius, orbatus etiam Pater. Genitor Genitusque existunt in immutabili aeternitate tamquam relationes subsistentes: Pater est generans et Filius genitus. Sed in sua exinanitione Filius iam non vivebat in unione cum Patre, nec Pater cum Filio, quia misit Filium in terram, et Filius missus est a Patre ad mortem crucis. Hoc modo proinde ambo simul crucifixi sunt et cum illis etiam Amor hypostaticus, cum in Spiritu Sancto dicatur Christus se obtulisse Deo.

Missio enim Filii non est concipienda tantum tamquam actus imperii, sed etiam ex parte Patris uti actus sacrificialis amoris ac spiritualis compassio; spiritualis quidem, quia sine incarnatione, et ex hac tantum ratione spiritualis erat quoque Eius crucifixio. Passio Patris certe alia erat, sed non minor quam Filii, Eique aequivalens. Idem dicendum de Spiritu Sancto, personali Amore Patris et Filii, qui semper requiescebat in Filio et participabat in Eius doloribus, donec veniret derelictio a Deo et Filius se Spiritu Sancto quoque privaret.

Contraria suppositio, nempe Filium solum passum esse pro peccatis mundi, cum externa tantum participatione aliarum Personarum, excluditur fundamentali dogmate trinitario de unica essentia et indivisibilitate SS. Trinitatis, viventis unam vitam in tribus Personis. Quare dicendum est totam Trinitatem spiritualiter simul cum Filio crucifixam esse et passionem pro mundi salute hoc sensu fuisse non solum exinanitionem Filii, sed etiam, quamvis alio sensu, exinanitionem aliarum Personarum ac totius Trinitatis.

Hac assertionem non incurritur error Theopaschitarum, quia illi ab Ecclesia condemnati sunt tantum propter negationem distinctionis realis divinarum Personarum. Affirmando autem spirituales compassionem et con-crucifixionem Patris et Spiritus Sancti cum Filio defenditur solum doctrina Ecclesiae de participatione harum Personarum in opere redemptionis⁹³).

Transeundo iam ad diiudicandam doctrinam Sergii Bulgakow de opere redemptionis Christi, cuius proluxae expositionis, frequentibus repetitionibus nec non digressionibus multum amplificatae ac parum dilucidatae, non sine difficultate summam fideliter retulimus. Primo libenter laudamus peremptoriam affirmationem

⁹³) L. c. 344, 383, 393, 399—401.

obiectivi valoris redemptionis a Christo — cum in terris munere Summi Sacerdotis fungeretur — peractae, eiusque rectam distinctionem a redemptione subiectiva sive appropriatione fructuum a singulis hominibus. Laudem meretur quoque multum operae impensum ad probandam ac declarandam obiectivam rationem illius operis, quamvis non omnia argumenta ab auctore allata, v. g. ex subiectiva conscientia approbari possint.

Recte probat B. dignitatem sacerdotalem Christi et convenienter in opere redemptionis aequalem iustitiae cum caritate manifestationem agnoscit, profitendo redemptionem eo factam esse, quod Christus omnia omnium hominum peccata in se suscepit, superavit ac perpessus est atque sanguine et vita sua Deo Patri in pretium redemptionis ac sacrificium oboedientiae oblata iustitiaeque divinae data satisfactione nos cum Deo reconciliavit.

In describenda passione Christi B. iustam rationem habet momenti moralis et dum imprimis dolores animi effert, apposite eorum sententiam reprobat, qui cruciatus corporis ipsamque mortem parvipendunt vel omnino negligunt.

Haec autem et alia, quae laude digna sunt, haud parum obscurantur multiplici defectu claritatis nec non admixtis gravibus erroribus.

Quidam defectus claritatis oritur ex inconsueto usu quorundam terminorum, nulla addita explicatione. Ita v. g. saepe dicitur Christus pro peccatis omnium hominum eo satisfacisse, quod ea „vixerit“ vel „pervixerit“ („izżył“)⁹⁴, quin declaretur, quomodo id intelligendum sit. Item frequenter sermo est de identificatione („otożestwienie“) Christi cum toto genere humano, quin illius ratio ac conceptus umquam explicetur⁹⁵). Praeterea per saepe praemissa particula „quasi“ vel „quoddammodo“ sensus verborum indeterminatus redditur.

Semel atque iterum B. id quod dixit, postea, contrarium vel contradictorium asserendo, retractat et obiectioni apertae contradictionis non aliter nisi per recursum ad mysterium vel imperfectionem nostri intellectus occurrit.

Christum, cum natus sit determinato tempore et loco, hominem individualement vocat. Mox vero historicam Eius individuali-

⁹⁴) L. c. 380 ss.

⁹⁵) L. c. 377 ss.

tatem non nisi quasi-larvam.(maska) fuisse contendit et re ipsa Christum esse hominem universalem ac personalitatem universalem, cum totam naturam humanam sine ulla limitatione susceperit, totam humanitatem praesentem, praeteritam ac futuram in se contineat ac cum ea ontologice identificetur. Hoc vero „factum metaphysicum“ concedit esse pro intellectu humano in statu naturae lapsae „transcendens“ et tantum „postulatum religiosum“, quo explicetur, quomodo Christus omnium hominum peccata in se suscipere et pro eis satisfacere potuerit⁹⁶).

Similiter B. ex una parte profitetur Christum sine peccato originali conceptum esse et naturam humanam omnino purificatam ex B. Maria Virgine, plene sanctificata, sumpsisse⁹⁷); ex altera vero parte docet carnem, quam Salvator assumpsit fuisse peccaminosam ac totam in peccato atque simul cum ea Christum suscepisse peccatum mundi⁹⁸). Cum inde deduci posset Christum naturaliter et necessario peccatum incurrisse, B. postea effert Christum peccata omnium hominum libere suscepisse, et quidem non idealiter tantum sed realiter⁹⁹), ita ut ei intrinsece propria fierent Eumque morte spirituali afficerent et mediante natura humana Ipsum Creatorem inficerent¹⁰⁰).

Solutionem difficultatis, quomodo peccatum cum divinitate Christi conciliari potuerit, petit B. ex theoria exinanitionis (Κένωσις), in qua defendenda novas incurrit contradictiones ac tandem fateatur: Quomodo susceptio peccatorum mundi a Christo facta sit, est mysterium Dei-hominis¹⁰¹).

Theoriam exinanitionis proponit B. in forma extrema. Supponit enim quandam exinanitionem iam in aeternis divinarum Personarum processionibus haberi, in quantum Pater non retinet naturam suam pro se, sed exiens ex se sacrificali actu dat eam Filio¹⁰²). Veram deinde exinanitionem apparere dicit in creatione mundi, in qua Deus se minuit, non quidem in sua immanente

⁹⁶) L. c. 230.

⁹⁷) L. c. 230 ss.

⁹⁸) L. c. 381.

⁹⁹) Peccato vindicat B. eandem realitatem ac homini et mundo, neglecta differentia inter ordinem physicum et moralem.

¹⁰⁰) Cf. supra 19 s.

¹⁰¹) L. c. 384.

¹⁰²) L. c. 121.

divinitate, sed exiens extra eius fines in sacrificiali amore se subiecit modo vivendi creaturae, ingressus est enim vitam mundi, et vivit non solum in mundo sed etiam cum mundo, ex Absoluto factus est Relativus, et Absolutus-Relativus. Sed adhuc manifestiorem exinanitionem inveniri in Incarnatione in qua Verbum se privavit sua divinitate, non quidem in quantum haec est fons internae inter-hypostaticae vitae, sed se privavit sua personali divina existentia, desiit esse Deus pro se et referebat se ad Patrem tamquam ad suum Deum. Remansit quidem etiam post suam incarnationem secunda Persona divina, sed pro se quasi exiit ex annulo Trinitatis („iz kolca Triedinstwa“) in aliam, creatam et temporalem sphaeram¹⁰³). In incarnatione locum et vicem spiritus humani occupans¹⁰⁴) Verbum exiit se sua propria hypostatica voluntate et energia et quasi unice functione hypostasis humanae fungens in ea exhauriebatur („istoszczajetsia“), et in hac exinanitione identificans se cum Vetere Adamo suscepit in se peccata mundi, manens tamen necessario immutabile in sua divinitate¹⁰⁵).

Hac quidem theoria exinanitionis supposita intellegitur, quomodo B. possit docere simul cum natura humana Verbi etiam Eius naturam divinam, immo totam SS. Trinitatem, etsi diverso modo, passam et crucifixam esse¹⁰⁶). Sed iuste merito mirum videri potest, quomodo ausus fuerit probationis gratia ad oecumenicum Concilium Chalcedonense provocare, cum idipsum Concilium assertionem Deitatem Unigeniti passibilem esse explicitis verbis sub poena excommunicationis damnaverit¹⁰⁷).

Cum falso conceptu relationis Dei ad mundum cohaeret erronea sententia B. de necessitate incarnationis et redemptionis.

¹⁰³) L. c. 257.

¹⁰⁴) B. supponit compositionem naturae humanae ex spiritu, anima et corpore. Cf. l. c. 209 ss.

¹⁰⁵) L. c. 253, 382. Cf. supra 21. Prolixiorem analysim sententiae B. de exinanitione Verbi tradit Th. Spāčil, *Nova opinio auctoris orthodoxi de unione hypostatica, Orientalia Christiana Periodica*, I Romae 1935, 72 ss. Praetermitto hic suppositiones speculativas B. de Sapientia increata et de aeterno seu coelesti Deo-homine, quas succincte refert Th. Spāčil (l. c. 61 s.) et archiepiscopus Serafim Sobolew refutat magno libro, c. t. *Nowoe użenie o Sofij, premudrosti Bożiej*, Sofia 1935, 526 pag.

¹⁰⁶) Cf. supra 24.

¹⁰⁷) Τοὺς παθητὴν τοῦ Μονογενοῦς λέγειν τοιμῶντας τὴν θεότητα τοῦ τῶν ἑρῶν ἀποθεῖται. συλλόγου. Mansi, Sacrorum Concil. nova et ampl. collectio, VII, 116.

Sicut enim supponit Deum creasse mundum ex necessitate amoris, ita ex eadem necessitate incarnationem Verbi factam esse contendit, quia Deo non satis esse poterat, quod per creationem extra se in creaturam exiit, sed volebat cum homine personalem communicationem habere¹⁰⁸). Etiam ex parte hominis incarnationem Dei necessariam fuisse dicit; et primo quidem, quia homo qua creatura est essentialiter imperfectus et ad finem suum, non nisi a Deo incarnato perducitur potest. Deinde quia ex mutabilitate hominis, coniuncta cum libertate, sequitur possibilitas peccati et necessitas redemptionis, quae solum per Deum-hominem fieri potest. Inde concludit B. aeternum decretum Dei creandi necessario includere debuisse decretum incarnationis et redemptionis, immo ideam redemptionis cum idea creationis inseparabiliter connexam atque ontologicè cum illa identicam esse¹⁰⁹), quo evidenter differentia inter ordinem naturalem et supernaturalem negatur atque Deo responsabilitas pro hominis lapsu imputatur, quod B. confirmat asserendo in opere redemptionis satisfactum esse iustitiae eo, quod auctor existentiae hominis sequelam actus creationis in se suscepit, nempe possibilitatem peccati, quae perducta est ad actum¹¹⁰).

2. W. N. Iljin.

Praeter Sergium Bułgakow ex modernis theologis russiae defendit obiectivum valorem redemptionis etiam W. N. Iljin, professor Orthodoxi Instituti Theologici Parisiis, et quidem in commemorata iam recensione libelli metropolitanae Antonii Chrapowickij, c. t. „Dogma redemptionis“, quem acriter reprobat, quod non nisi psychologicum ac moralem valorem redemptionis, respiciat et consequenter Christum tantum tamquam magnum doctorem agnoscere possit¹¹¹).

¹⁰⁸) *Agnec Božij* 194.

¹⁰⁹) L. c. 373 s. Cf. supra.

¹¹⁰) L. c. 393 — Ad obiectionem sibi a Sergio, administratore sedis patriarchalis Moscoviensis factam, quod hominem ex necessitate lapsum esse docuerit atque inde Ipsum Deum inculpaverit, respondet B. se nihil aliud nisi possibilitatem ac periculum peccati affirmasse; deinde autem repetit: „Creatorem in aeterno suo consilio cum voluntate creandi necessario voluntatem necessariae redemptionis coniungere debuisse“. Cf. *O Sofij Premudrosti Božiej*, Paris 1935, 48 s.

¹¹¹) Put', Paris 1927, VIII, 156 s.

Suam propriam sententiam I. clarius non exponit, sed inculcata distinctione inter ipsam essentiam sive actum redemptionis et eius „theologico-metaphysicum“ effectum, animadvertit secundum fidem orthodoxam dogma redemptionis non posse construi nisi supposita „sibi constante ontologia universalis unitatis et mystica realistica“¹¹²⁾.

3. *Sergius Stragorodskij.*

Tandem praeter omnem spem nuperrime defensor obiectivi momenti redemptionis exstitit Sergius Stragorodskij, ab anno 1927 Vicarius locum tenentis Patriarchae Moscoviensis, qui quondam in tractatu c. t. „Orthodoxa doctrina de salute“, de quo supra sermo erat, fautorem mere psychologico-moralis theoriae de redemptione gerebat¹¹³⁾. Nunc vero valorem obiectivum passionis Christi profitetur, et quidem verbis, quae „extremum iuridismum“ sapiunt.

In decreto enim contra doctrinam Sergii Bułgakow promulgato haec habet: „Essentia doctrinae de redemptione hoc modo exprimi potest, quod Dominus Jesus Christus passione sua Deo Patri aliquod pretium obtulit, quo abundanter persolutum est, quod iustitia divina pro lapsu poscebat, quodque poenam pro peccato adaequabat“¹¹⁴⁾.

Parum autem certitudinis manifestat S. quoad quaestionem quandonam Christus opus suum redemptionis incepit. Animadvertit enim, si placet, dici posse „Christum illud incepisse a primo momento vitae suae in terris, vel etiam ab ipsa aeternitate“. Sed nullum esse dubium, quia illud consummaverit morte sua in cruce, qua praecipue pretium illud fuit solutum pro nostra liberatione a captivitate diaboli, et, quia libere accepta, sacrificium a Deo-homine iustitiae divinae oblatum pro salute mundi¹¹⁵⁾.

Evidenter timens, ne nimis prope accedat ad doctrinam antiquioris theologiae orthodoxae, cum doctrina catholica conformem, S. addit Christum in opere redemptionis nequaquam egisse tam-

¹¹²⁾ L. c. 157.

¹¹³⁾ Cf. supra.

¹¹⁴⁾ *O Sofij Premudrosti Božiej. Ukaz Moskowskoj Patriarchij*, Paris 1933, 13.

¹¹⁵⁾ L. c. 14.

quam spirituale caput omnis creaturae, neque tamquam caput totius humanitatis, ut fructus operis Eius quocumque mechanico vel formaliter iuridico modo in omnes homines se extenderet. Ipse erat solummodo Novus sive Secundus Adam, qui imprimis suam personalem assumptam naturam redemit ac deificavit, ut eo principium poneret novae gentis eorum, qui Christi sunt. Quare ex opere Eius solum ii utilitatem percipere possunt, qui spiritu renascuntur in novam humanitatem et in omnibus uniuntur cum Christo ¹¹⁶).

Hic iterum apparet, *quomodo moderni theologos russi praenimio timore, ne in „iuridismum“ incidant, potius omni profundiori explicationi redemptionis obiective spectatae renuntiant ac statim ad considerationem conditionum redemptionis subiective sumptae sive ad fructum operis Christi appropriationem se convertant — quam ut aliquod positivum decretum divinum admittant, quo Christus constitutus fuerit morale caput generis humani.*

* * *

Respicendo ad totam disquisitionem nostram, qua quid primarii theologos russi, quatuor praecipuis centrīs, Moscoviae, Varsoviae, Lutetiae Parisiorum et Karlovce existentes, de opere redemptionis doceant, cognovimus, videmus omnes quos investigavimus tractatus, vivam auctorum fidem in Divinum Redemptorem testari, nec non ferventem zelum operis Eius fructus propagandi. Omnibus autem communes esse gravissimas opiniones praepiudicatas contra doctrinam catholicam easque ultimis decenniis potius auctas quam diminutas apparere, notitiae vero eorum, quae hoc tempore haud parvo numero in variis linguis a catholicis theologis de opere redemptionis atque ad diluendas illas opiniones publici iuris facta sunt, apud recensitos auctores vix ulla inveniri vestigia.

Ceteroquin inter modernos theologos russiae in concipiendo et explicando opere redemptionis magnus manifestatur dissensus, et quidem non solum quoad quaestiones pure speculativas vel parvi momenti, sed quoad eas quoque quae secundum proprium ipsorum iudicium „ad essentialia elementa

¹¹⁶) L. c. 14 s.

doctrinae orthodoxae de redemptione pertinent“ — necnon gravis defectus claritatis, certitudinis atque constantiae, quia praecipua auctoritate fruente metropolitanae Antonius Chrapowickij et Sergius Stragorodskij sententiam suam de valore redemptionis mutarunt.

Inde sequitur qua diligentia seriis sincerisque studiis scientificis incumbendum et quanto fervore orandum sit, ut in Divino Redemptore, iuxta flagrantissimum Eius desiderium, omnes sint unum, ut sint consummati in unum (Joan. 17, 23 s.)¹¹⁷⁾.

Varsoviae

Aloisius Bukowski S. J.
Professor Universitatis Varsoviensis.

¹¹⁷⁾ Hac commentatione iam ad finem perducta cognovi dissertationem a Dr. Antonio Salajka in lingua bohémica nuperrime (Prahae 1936) editam, c. t. „Doctrina orientalium theologorum dissidentium, imprimis russorum, de redemptione Christi“, in qua quoad maximam partem de iisdem theologis agitur, de quibus prius vel nunc tractavi. Quia propria marte laboravi atque nonnullos auctores a Dr. Salajka praetermissos recensui, spero meam opellam non prorsus inutilem fore.